

A n l a g e n.

I.

Hunc libellum ego nonnus Philippus prior huius loci emi. Orate pro anima mea. Anno domini M^oCCCC^oXVj^o die Barbare virginis. Eodem anno et eodem mense vigilia nativitatis Christi intravit imperator Wenceslaus Leodium per portam sancte Walburgis hora secunda sive hora vesperarum, et intravit ecclesiam sancti Lamberti, et interfuit vesperis. Et die nativitatis Christi in matutinis fecit officium dompnus Reynerus abbas sancti Iacobi et celebravit primam missam. Imperatore tenente mentum suum cum barba supra scapulas abbatis, interim quam 'confiteor' dicebatur. Quo dicto introitum misse et reliqua imperator devote et distincte persolvit cum abbate, et die sancti Io. ewangeliste ivit imperator audire missam apud Predicadores et in ecclesia sancti Iohannis ewangeliste. Et supra pontem insule et usque ad ecclesiam sancti Iohannis ewangeliste tanta fuit multitudo et compressio hominum, ut si de aere pomum cecidisset, propter oppressionem concurrentium terram non tetigisset. Eodem die fuit una crux oblata imperatori a capitulo sancti Lamberti et secundariis ecclesiarum, et duobus monasteriis scilicet sancti Iacobi sanctique Laurentii, que erat valde preciosa, in quadro formata, auro et lapidibus preciosis adornata, non magna sed a sursum usque deorsum et dextro usque a sinistro habens quantitatem digiti medii manus hominis. Cum congregate essent ecclesie et duo abbates predictorum monasteriorum ad decernendum, quid sue liberalitati seu subiectioni esset imperatorie maiestati offerendum, quibusdam proponentibus et dicentibus: 'Oves et boves pro sustentatione huius vite tam sibi quam suorum'. Et affuerunt inter eos duo venerabiles viri videlicet dominus Guillelmus de Momalia et magister Iohannes de Saalis canonici sancti Lamberti, qui proposuerunt, se esse executores domini Philippi de Aleconio cardinalis habentes preciosum iocale scilicet crucem valde preciosam, de qua supra tactum est, et istud iocale magis acceptum esset imperatori, quam aliqua temporalia alia, cum tam (?) liberalis esset imperator, ut ad quascunque patrias divertisset, ubique donaria contulisset. Et tunc propositum est a duobus canonicis predictis libenter conferre predictam crucem, supplicantes humiliter, ut in maiori ecclesia et ecclesiis secundariis ac duobus monasteriis predictis omni anno dies anniversarias pro anima domini cardinalis predicti celebraretur. Et sic crux oblata fuit imperatori, et in crastino sanctorum Innocentium fuit missa celebrata specialis multum sollempniter in ecclesia sancti Lamberti convocatis secundariis ecclesiis et duobus conventibus, sancti Iacobi scilicet et sancti Laurentii, aliis conventibus dimissis propter